



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

Dominica SSS. Trinitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

## 22 DIES, &amp; FESTA

simos, excelsæ erga te charitatis, actus, adeoque ipsas inferni flammæ (si id tibi placeret) in æternum tui amoris ignem convertere, ac omnia corda frigida linguis igneis tibi accendere! Quicquid boni accepit ullus à te, gratias ago tibi! Quicquid boni fecit ullus, gratulor tibi, & illi! Ego valdè parùm possum, & minus facio: accipe, pro supplemento, gaudium, quo gratulor omnibus Electis tuis, pro omnibus bonis, quibus delectantur te! accipe desiderium, quo opto, ut ameris; utinam tot Seraphicorum chororum cordibus, quot tu mente tuâ infinitâ potes concipere! O Patris, ô Filii amor æterne: gratulor, quòd sis Deus! Gratulor, quòd infinita illa pulchritudo, & bonitas ametur à se ipsâ tantum, quanta est ipsa: & peto, ut ille tuus erga te amor, sit magister meus, & operiat multitudinem peccatorum meorum, ac prorsus exurat dolore, qui ab amore tuo ardere discat, meque tibi in holocaustum dare.

## DOMINICA SSS. TRINITATIS.

Credo, spero, amo te, SSS. TRINITAS, unus Deus, incomprehensi-

hensibilis cogitatu; veritas, fidelitas, pulchritudo, sapientia, bonitas infinita! Offero tibi, pro libello supplici, omnia merita JESU, MARIÆ, omnium Electorum; & rogo, ut tuis beneficiis benè utar semper. Quicquid boni de te scriptum habent bibliothecæ omnes; quicquid boni de te scripsit, vel cogitavit ullus; quicquid in thesauro scientiæ tuæ est, quod tibi offerri à me possit, id omne tibi offero; in gratulationem de bonis tuis, in gratiarum actionem pro donis tuis, in satisfactionem pro malis meis, in impetrationem amoris, quo te magis, ac magis amem semper, usque in diem pulcrum amoris æterni. Illo magistro, doce me omnia optimè, ac maximâ diligentia facere; quia illa facio tui amore, qui optimus, & maximus es, ô pretiosissime, ô pulcherrime, ô nobilissime, ô gloriosissime Deus meus! deliciarum omnium primæ, ac summæ deliciæ, affluentissima dulcedo, infinitè infinita immensitas, divina majestas, omnis boni, quod amari potest, thesaurus unicus, pura voluptas, SSS. TRINITAS, unum verum bonum, & ultimus finis meus!